

Die Urkunden der Burgundischen Rudolfinger, 3

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Rodulfus divina favente clementia rex. Cum conveniat regiam eminentiam, ut erga subiectos benignum praebeat auditum et iustum petitionem eorum ad effectum perducat, decent maxime, ut qui promptissima devotione in eius servitio intendunt, liberalitatem clementer impertiat. Ac per hoc noverit omnium sanctae dei aecclesiae fidelium tam praesentium videlicet quam et futurorum sollertia, quoniam accessit ad clementiam magnitudinis nostrae dulcissima ac dilectissima Adaleydis soror nostra petens et subplicans, ut abbatiam Romanis, que constructa habetur in honore beati Petri apostolorum principis et est sita in comitatu Uualdense, per praeceptum nostrae regalis dignitatis ei in vita sua concederemus et ut haberet post discessum suum potestatem relinquendi cuicunque voluerit heredum suorum. Quam petitionem intimo ex corde suscepimus et per auctoritatem quam habemus principalem iam dictam abbatiam Romanis eidem largimus dum vixerit. Cum autem deus eam a corpore vocare dignatus fuerit, habeat licentiam et omnem facultatem relinquere eam quemcumque elegerit de heredibus suis. Adque ut haec nostra largitio firmior habeatur et per cuncta secula inconvulsae servetur, manu nostra subter firmavimus et de anuli nostri inpraessione sigillari praecepimus.

Signum (MF.) Rodulfi piissimi regis.

Berengarius notarius advicem Theoderici archiepiscopi et cancellarii recognovi (SR.) (SI. 1)

Data IIII id. iunias anno Christo propitio Rodulfi piissimi regis primo, anno ab incarnatione domini DCCCLXXXVIII, inductione VI; actum Uabre villa; in dei nomine feliciter amen.